


P. 11. 4. 16

Hu
1257



2

FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA WITTENBERGENSI
SENIOR ET H. T. EX-DECANVS
G E O R G I V S A V G V S T V S
L A N G G V T H D
PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. ORDIN
P A N E G Y R I N M E D I C A M
AD D. XXX. OCT. cI, I, CC LXV
H A B E N D A M

INDICIT
DE
R E C V P E R A N D A M E D I C I N A E V E T E R I N A R I A E
P R I M A D I G N I T A T E
N O N N V L L A C O M M E N T A T V S

HISTORIATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA WITTENBERGENSI
SENIORIS ET EX DECUMANIS
GEORGIVS VACANTVS
FANGATH D
PRINTED IN LONDINI BY R. CLARK
PANGEYRI MEDI^{CI}N
A. M. 1700
MAGDEBVRG
TYPIS
EX
ETATIM CINAMONI
ETATIM AMMI
ETATIM CO. ALDUM



Magnam esse Artis Veterinariae vtilitatem ac dignitatem, duo decim ante annis, flagrantissimo incensus dolore, neque tam maiore vulneribus nostris, singulari scriptione per occasionem Academicam, edisserui, hunc, quem neglectae Artis necessitas vrgebat, in fine, ut eius ad prouehendum studium placide excitarem, quorum auspiciis, consiliis ac exemplis, rerum oeconomica rum emendatio, tanta hodie contentione, nec minus laetabili successu, suscipitur atque procuratur. Iam tum enim, clamofissimas pecudum nostrarum aegritudines mortesque deslentes, heu! nimium quantum sentiebamus, quam graue illud damnum sit, quo turpiter neglecta praestantissimae Artis cultura factam sibi iniuriam citius tardius vlcisci soleat; futurumque, tanquam ante oculos, videbamus, nisi optimae huic Arti, omnibus in partibus suis mancae, mutilae, imperfectae, efficacior medicina mature adhibeatur, neque tanto huic malo nostro, tam late grasseanti grauiori funestoque animalium morbo, certain, satisque potentem, inueniri posse medicinam. Quae mea praeiensio vtinam me fefellerit!

Quod enim immedicable reddit vulnus nostrum, quod nouo semper, nec consolabili, dolore nos conficit, idem proh dolor! damnum, eamdem culpae ac negligentiae nostrae poenam, huicm viuidissime sentimus; saltem non inani metu mox redditurae calamitatis perpetim terremur atque excruciamur. Nam dira illa bouina lues, quae tum, etiam nostris in regionibus, viciniaque et ipsa vrbe nostra, denuo grassi ri incipit, tantamque late stragem nobilissimae pecudis edidit, compri-

mi omnino, aut eius saeuitia, ex impetratis longioribus induciis, paulatim obtundi non potuit: sed agros potius et stabula nostra iterum ac tertio funestissima clade notauit, et, tanquam dolosa cinere obrutus ignis, nouas continuo eruptions flamasque minitatur.

Si, quod in communi versatur proverbio, effectus quilibet sua de causa testatur, haud aegre colligendum est, nos haec tenus, in perficienda hac arte, omni adhibita diligentia nostra, non ita memorabiles fecisse progressiones, quodque adeo consequitur, Medicinam Veterinariam aequa arduam ac difficilem adhuc esse, argue illam a maioribus nostris accepimus. Quod equidem mirari non decet. Rechte enim cum COLVIMELLA *), paucis mutatis, quaesieris: *Ecquis vero futurum Medicum Veterinarium docebit, si nullus professor est?* Vfus autem optimus quidem magister artium est, sed seris demum ab annis venit, perque longas discentem ambages fatigat.

Silicet sua partim ex natura ardua esse debet ac difficilis Veterinaria Medicina, quum nondum in iustam artis formam redacta sit, neque sine immenso labore et multo sudore, sine magnis impensis ac maioribus auspiciis, redigi vñquam in eam possit; partim vero res quedam externae concurrunt, et quasi hanc artem circumstant, quae magnopere impediunt, quo minus optima etiam praecepta rite applicare, et exsequi possimus, vnde noua et haec tenus inuincibilis enascitur difficultas.

Quod attinet ad primum locum, ad scientiae dignitatem euehi non potest Veterinaria Medicina, nisi plena et accurata, vt obiecti, sic subiecti, quae dicuntur, comparata sit cognitio, quae effectus quosque ad suas causas referat, et versa demum vice ex his, cum fiducia sumendis, nouos optabilesque effectus producere atque praedicere nos doceat. Vtrobique vero harum rerum prudentes paulloque curiosiores, nil nisi precaria et genuino destituta fundamento, nihil fere, nisi prima forte rudimenta, vagas vanasque opiniones, infidas obseruationes, commenticias fabulas, pudendas superstitiones, falsa experimenta, lapsus, errores, densas vbique tenebras, offendunt; quae sane fulcra condendae artis esse nequeunt. Haec vere potius ac ingenuæ, quam contumeliose, dici, longis exemplorum, ex omni disciplina desumendorum, ordinibus, ex Anatomia, Physiologia, Pathologia, Therapia et Materia Medica, probari

* Lib. XI. Cap. I, 12.

probari sine difficultate posset, nisi alii nobis in hac causa otium fecissent, in eoque iam nunc occupati sunt, ut experientia et ratione, in consilium adhibitis, optimae Arti primam dignitatem recuperent. Neque aliter tandem res eueniunt potuit, spretis neglectisque sapientioris antiquitatis exemplis ac vestigiis; quem locum inter alia opportune ac graphicè hoc modo tractat ac persequitur recentissimus Scriptor. ^{!*)}
L'Art Vétérinaire est aujourd'hui dans l'abjection. Tout ce, que des Philosophes et des Médecins, que l'antiquité respectoit, et qui n'ont pas dédaigné de s'en occuper, nous ont transmis des connaissances sur cette matière, est en quelque façon oublié. On ne lit plus Varron, Columelle, Dioscoride, Démocrite, Rasis, Avicenne, etc. pas même dans les compilateurs, tels que Gefner et Aldrovande; et si Aristote et Pline sont encore quelquefois consultés, il semble, que ce n'est, que pour accréditer les erreurs de l'un, et les fables de l'autre.

Altero deinde loco hoc maxime optimae arti neglectui est, quod vīlissimis ac ignarissimis hominibus, vñanimi quasi omnium populorum confusione, omnis eius cura ac cultura, a multo tempore permissa atque relicta sit. *Male agi cum domino, quem villicus doceat,* ^{**) CATO} quondam, prisci moris exemplum, edixerat, *praefastareque, COLVMELLA* ^{***)} arbitrabatur, *villicum magistrum esse operariorum, non discipulum.* Quam ergo male, putaueris, cum Medico agi, quem villicus doceat? imo vero, quam male cum omni arte agi putaueris, vbi Medicus, villicusque, discipuli magis sint, et esse necessario debeant, quam magistri, operariorum? vbi armentarii, equarii, carnificibus, potior fides adhibetur, quam Medico Physicoque? Ita vero plurimum cum Arte Veterinaria actum est. Cui accedit, omnem hanc sodalitatem, et in arte rudem et pigerrimam, et pertinacissimam esse, mendacem praeterea, famelicam, stupidam, feram, pessimaeque fidei, nationem. Atque huius farinae hominibus nobilissima pecus, pascenda, custodienda, curanda, creditur, nihilque frequentius occurrit ac exigitur, quam vt Medicus, consultus forsitan, ab hisce truncis ac stipitibus morbi historiam accipiat, fidem dictis simpliciter adhibeat, remediorum propinicationem et applicationem, in primisque regimen, et quidquid alias ad curatio-

A 2

nem

^{*)} Auctōr Programmatis, Gallico idiomate scripti, et Lugduni A. 1763. publice propositi, cui titulus: *Art Veterinaire, ou Medecine des Animaux.*

^{**) ***)} col. Lib. XI. Cap. I. 4.



nem aegrorum animalium requiratur, eorum ruditati ac ignauiae committat et relinquat. De arte vero pastoricia, de scientia villicorum, quarum sane partes sunt multiplices, et numerosiores, si **VARRONI** *) fides est, et necessariae, et non paruae, de his quidem omnibus parum aut nihil umquam ipsis auditum nunciatumque est; quo eriam paullatim effectum videtur, ut pastorum conditio usque eo euiluerit, ut, obscurata primae dignitatis ac praestantiae memoria, contemtui fere sit, et, ne quid grauius dicam, illiberalis habeatur.

Quo tristior hic rei veterinariae status est; quo difficultorem reddit tam fatali funestoque morbo obnoxiae pecudis curationem; quoque verius, profectus omnis et studiorum turpissima pestis, habenda est in universum negligentia: tanto maioris videmus esse necessitatis, ut de periunda huic malo, huic calamitati ac pernicie nostrae, medicina, tandem aliquando efficacius cogitemus, quodque nuper admodum, cultura nobilissimarum artium florentissima, Gallia, nobis praeiuit illustre exemplum, quam oxyssime imitemur. Ut *Veterinariam Scholam* ante biennium Lugduni aperuit, magno hoc opere nominiis immortalitatem consequutus, Regii Magister Stabuli, **BVRGELATIVS**, eidemque *Regiae Academiae* titulos ac prerogatiwas impetravit: sic ex sapientissima eius institutione ac studiorum tractandorum dispositione, **) prosperrimos successus, optimae arti primam reddituros dignitatem, laetissimi propisci mus, tantoque ardentius optamus, ut spes, nobis factas amplissimas, felicissime expletas, charissimae patriae propediem possimus gratulari. Prima enim sequentes mox in secundis confistere, et honestum, est, et gloriosum.

Ex qua re magnam nobiscum voluptatem haud dubie capturus est

VIR NOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS,
IOANNES GODOFREDVS VLMANNVS,
BELTITIO - SAXO,
MEDICINAE CANDIDATVS DIGNISSIMVS,

non pro more tantum, a Maioribus accepto, sed inter alia, hoc quoque nomine, Lectori Benefiolo commendandus, quod Scriptionis huius
Acade-

*) Lib. II. Cap. I.

**) Praeter Programma, supra laudatum, publici juris facta sunt: *Reglements, qui seront observés dans l'Hôtel de l'Ecole Royale Vétérinaire, à Lyon, 1763.* quae digna legi sunt.

Academicae, quam hac prolusione publice ventilandam indicimus, Auctor, non modo virium suarum laudabile fecerit periculum, sed argumento eius, diligenter tractato, simul quoque ostenderit, nihil magis deinceps curae cordique ipsi futurum, quam suam quoquo modo symbolam, ad prouehendum Medicinae Veterinariae studium, ad suam Optimae Arti afferendam dignitatem, ut conferat. Tanto confidens spero, fore, ut Candidatum meum, vitae et studiorum rationes breuiter enarrantem, L. B. benigne audias:

Ego IOANNES GODOFREDVS VLMANNVS natus sum Beltiæ, vrbe in Circulo Saxonico sita, Anno MDCCXXXV. die XXV. mens. Augufti, Patre b. DAVIDE VLMANNO, Med. Doct. et Physico Coswicensi, Matre b. ANNA DOROTHEA, b. GODOFREDI KÜHNE, dictæ vrbis consulis meritissimi, filia, cuius vero mihi praematura morte ereptae vices in se suscepit BEATA CHRISTIANA, b. IOANNIS SIGISMUNDI SCHMIDII, Regio-Electoralium Circuli Saxonici redditum Praefecti grauissimi, filia. Prima studiorum fundamenta in schola vrbis patriæ ieci, quae quidem postea, cum Serenissimæ ac Clementissimæ Principis, IOANNAE ELISABETHÆ, regionum Anhaltino-Seruestarum tum Administroris, iussu ac nutu clementissimo pater Coswigam commigraret, in huius vrbis schola continuaui. Hisce vero primis studiorum lineis ductis, Gymnasium, quod Coburgi floret, Academicum adii, ibique in studiis ad altiora praeparantibus, ab ore praeprimis b. BVTTSTETT, S. S. Theolog. et Metaphyf. P. P. O. et Gymnasii Directoris, nec non ALBRECHTI, Med. D. et Physic. P. O. pependi, et aliquot annis peractis reuerti, atque vnum, propter Patris valetudinem vacillantem, domi commoratus, tandem, eo mortuo, Illust. Academiam Wittebergensem, Anno MDCCXLVIII. mens. Dec. salutaui, eiusque ciuibus, Rectore Magnifico, CHRISTIANO SIGISMUNDO GEORGIO, S. S. Theol. Doct. et P. P. Ord. adscriptus, statim Arti salutari addiscendae operam nauauit; quapropter Excell. HILLERI atque b. BOSII
praele-

QK Tu 1957
VIII

praelectiones philosophicas, scholas simul medicas, frequentare incepi. In quibus quidem a Celeberrimo D. LANGGVTHIO Physiologiam, Pathologiam, Therapiam tam generalem quam specialem, Chirurgiam, Artem Obstetriciam, Medicinam Forensem, doctissime fidelissimeque explanatas accepi; Celeberrimus vero BOEHMERVS mihi Anatomiam, Materiam Medicam, Botanicam, Physiologiam et Pathologiam pari ratione exposuit. Quibus quidem laboribus exantatis Illustrem Medicorum Wittebergen-sium Ordinem, Anno MDCCXLIV. demisse obseruantissimeque rogaui, vt ad examen, quod pro Candidatura dicunt, me benigne admitterent; cuius voti cum Celeberrimi viri me damnuare non noluerint, tum praefectibus meis exploratis in Candidatorum numerum me beneuelle acceperunt. Quo facto me Coswigam rursus contuli, ibique in Medicinam, ex idata occasione exercendam haetenus incubui.

Dictus est huic Solemnitati abs Ordine Nostro, dies xxx. Octobris, quo, me Praeside, Disputationem suam Inauguralem, de Morbo boum adhuc epidemice graffante, proprio Marte, vt diximus, conscriptam, H. L. Q. C. Respondens defendet. Quam Panegyrin, vt Rebor Magnificus, Patres et Professores Academiae, Omnim Ordinum ac Dignitatum Antislites Grauissimi, itemque Generosissimi ac Nobilissimi Cives ac Commilitones, pro suo fauore ac amore praesentes frequentesque illustriorem reddere beneuelle velint, qua decet, obseruantia atque humanitate, rogamus.

P. P

Dom. xix. p. F. S. S. Trinitatis A. S. R. cIcI cclxv

PRELO CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS

X 23745 M

ULB Halle
005 805 724

3







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

2
VLTATIS MEDICAE
IN
IA WITTENBERGENSI
RET H. T. EX-DECANVS
IVS AVGVSTVS
NGGVTH D
ET CHIRVRG. P. P. ORDIN
YR IN MEDICAM
XXX. OCT. cI, I, CC LXV
A B E N D A M
INDICIT
DE
A MEDICINAE VETERINARiae
RIMA DIGNITATE
ULLA COMMENTATVS